DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
FEBRIS REMITTENTIS CURATIONE:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID JAMESON,

Britannus,

IN EXERCITU BRITANNICO
CHIRURGUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT C. STEWART,
Academiae Typographus.

MDCCCXVIII.

JACOBO M'GRIGOR, EQUITI,

M. D.

PRINCIPIS IMPERIUM BRITANNICUM REGENTIS

MEDICO EXTRAORDINARIO;

EXERCITUUM BRITANNICORUM MEDICORUM

DIRECTORI GENERALI;

COLLEG. REG. MED. EDIN. SOCIO;

S. R. E. S.;

VIRO CELEBERRIMO;

OMNIBUS VIRTUTIBUS TAM PUBLICIS QUAM PRIVATIS

INSIGNITER ORNATO;

HOCCE OPUSCULUM,

SUMMAE VENERATIONIS SIGNUM,

ANIMIQUE GRATI TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

INSCRIBIT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRIS REMITTENTIS CURATIONE.

PROŒMIUM.

Commercium, novum illud imperii instrumentum, famam nomenque gentis Britannicae jamdudum per ultimos orbis terrarum fines divulgaverat; sed, nondum classes ejus igniferae, aut legiones bellicosae, omnes ferè terras a Gadibus usque ad Gangem, obsesserant, quum maligna hostis impotentis atro-

citas eas ad regiones remotissimas evocavit. Medici his expeditionibus designati, morbos nunquam nisi libris aliorum sibi cognitos, sed variis regionibus proprios, tum primùm viderunt: et sua infelicitate docti, novam plerumque medendi rationem instituerunt. Neque res omnino fefellit, nam haud paucae, hìnc, curationes valdè utiles innotuerunt; adeo quidem speciosae et multae,* ut an gloriosissima hujus belli terminatio, osorisque libertatum eversio; aut varia medicorum contemporanea inventa, plus posterorum commodis servitura sint, dubitare ausim. Verùm, inter omnia, Febris Remittens haudquaquam neglecta fuit, multis libris et disceptationibus exculta; praecipuè sub for-

* Sanguinis in febre detractio liberior; Syphilidis sine Hydrargyri usu, curatio, variaque chirurgica inventa, pauca ex plurimis nominentur.

mâ quâ Insulas Americanas, Indosque Eoos depopulatur: vix autem, ea conditione qua Insulas Graecorum infestare solet, tractata fuit. Quoniam ego, inter alia militaria munera, has Insulas per longum tempus incolui; curationem hujus formæ in Dissertatione Inaugurali quae sequitur, amplexus sum, quibusdam de morbi indole cadaverisque incisione praemissis.

MORBUS.

Febris quae incolas Insularum Graecarum, magisque adhuc advenas istius plagae vexat, Remittens est. Remissio autem, secundo, tertio, quarto, sexto vel octavo morbi die apparet, saepissimè tamen tertio vel

quarto. Haec febris est quae Hippocrate, Celso, et Galeno praecipuè describitur; et post longam annorum seriem, indicia omnino immutata ostendit.

A febre ejusdem nominis *Indicâ* imprimis distinguitur; nam remissio longè evidentior fit, sed diebus magis incertis; vomitus niger rariùs adest, et flavedo illa morbo Indico familiaris hìc minus frequentiùs videtur. Insuper, proclivitas febris nostrae Graecanicae ad inflammationem longè vehementior esse apparet, nec tamen vires vitae tam perditè profundit.

Signa pro anni tempestate, aliisque ab causis haud semper benè cognitis, variant; sed rarissimè adeò gravia vel debilitantia existunt, ut hominem primo accessu vel ante

tertiam morbi diem extinguerunt; quod, in regionibus tropicis, quotidiè accidit; dum haec ad sextam, octavam vel decimam diem plerumque protrahitur.

CORPORIS INCISIO.

Pathologiae nuperus Anatomiaeque progressus hanc operationem multo utiliorem reddiderunt. Varia enim phaenomena, inflammationem spectantia, in cadavere olim parùm intellecta sunt: adeo quidem ut, in vetustioribus medicis multum aegrè explicabile, multum perquam dubium, de talibus dissectionibus invenitur. Recens haec accuratio febrem prae omnibus morbis illustravit, atque si non causas morbi detexerit, ef-

fectus saltem imprimis cavendos revelavit. Notae inflammationis cerebro ejusque membranis, pulmonibus, visceribusque abdominalibus exhibitae, paucis ante annis prorsus neglectae sunt: nunc ab omnibus etiam Tyronibus decantatae, medicinam magna ex parte mutaverunt. Periculum quidem, potius videtur, ne his nimis attendatur, et notae fortuitae vel secundariae pro causis febrium assumantur. Sic nuperi quidem febrem quasi cerebri vel membranarum inflammationem esse dixerunt; nec rarò plenitudinem venarum, dependente cadaveris capite, post mortem comparatam, eodem absurdè retulerunt.

Minuta quidem notarum morbo post mortem relictarum exploratio, remedia quae similibus affectibus praescribenda veniunt, ne-

quit non egregiè quoad exhibitionis modum temperare.

Antiquis tamen viris superstitio et leges, hujusmodi investigationis ferè praescripsit; atque haec una res est, quae medicum hodiernum, clarissimis antiquis in tantum anteposuit. Dum vero indoctorum praejudicata paulatim recedentia, hanc utilissimam investigationem medicis vitae civili operatis, pari passu exaugent; militaribus quidem medicis non tantum amota sunt omnia impedimenta, sed minuta corporum morbidorum scrutatio munus ab illustri exercitûs medicorum Directore Generali praescribitur.

Quum, inter annorum multorum stipendia varias maris Mediterranei insulas cum exercitu Britannico visitarem, nonnullas sa-

tis diu incolerem, crebrae mihi occurrerunt occasiones corpora Febre Remittente mortuorum inspiciendi, animus est, antequam ultra progrediamur, quandam utcunque brevem, descriptionem notarum quae semet inspectioni obtulerunt exarare.

1. *Cerebrum*. Supra diximus nonnullos, signis inflammationis adductos, febrem in cerebro inflammato posuisse; neque negandum est hanc partem, seu inflammatione seu alia quavis affectione saepissimè in febribus perturbari. Hujus rei et ipse quodammodo testis sum: quippè qui cerebrum rarissimis utique exemplis integrum omnino invenirem.

Vasa durae matris et piae matris, hoc est, membranarum non minùs quam cerebri ipsius sanguifera, omnia insolito distensa, san-

guine turgebant, praecipuè in partibus ubi his organis integris, nullus rubor, nullum certè vas sanguineum videri solet.

Ventriculi laterales humoris quasi seri copiam saepè haud mediocrem habuerunt. Hic liquor inter cerebri convolutiones, earumque tunicas propiores haud rarò apparere solebat.

2. *Hepar.* Hujus visceris plerumque magnitudo ampliata est, saepè quoque inflammationis signa per faciem ejus externam exhibens. Inferiore ejus et anteriore parte vesicula fellis jacebat nigra, et in omni ferè exemplo, bile viscida, crassa, tenace, et atra distensa. Haec materia quâ saccus undiquè repletus est, colore et crassitudine picis liquidae videbatur.

3. *Lienis.* Omnibus jam satis constat hoc viscus vim Febrium Intermittentium aegrè sustinere, sed saepè induratum et in immensam molem expansum totum ferè ventrem implens: neque raro, merâ pressione Hydropes, Haemorrhoides, tandem quidem Hecticam, non nisi morte solvendam, inducere solere. Hinc, facilè suspicetur aliquis, Febrem Remittentem utpote fortiorem violentiùs adhuc huic membro nociturum esse, quod re verâ accidit. Nam longè plurimis, lienis in vastam magnitudinem extumescit, bis, terve mensuram naturalem superans, cujus color et crassitudo sanguini grumis referto haud multùm abhorrent.

4. *Stomachus.* Quum febrientes vomitu perpetuo lacessiti fuissent, tunica ventriculi villosa in inflammatione semper reperta est,

praesertim adversus pylorum, undè in nonnullis exemplis, inflammatio ad benè magnam intestini portionem, proserperit.

5. *Pancreas.* Haec glans sive a positu, sive a fabrica, sive denique a levi nexu vasorum quae eam adeunt, multo minùs febribus, aliisve sanguinis congestionibus affici solet, quam volumen et concoctionis necessitudo promitteret. Hinc est, quod semel tantum illud morbosum vidi, etiamsi nullam occasionem praetermisi, quâ scrutationibus hujusmodi interessem. Hoc verò in exemplo pancreas in cartilaginem ferè conversum apparuit, volumine insignitèr diminuto: sed, cum nunquam, ut jam dictum, similem eventum conspectus sum, nihil cum morbo commune habuisse judico.

Flavedo illa quae partes internas nonnunquam maculare solebat, semper pro portione flavedinis in cuticula externa dispersa observatur. Haec flavedo mihimet benè persuasi, a bile exoritur, quæ omnia intestinorum vasorumque sanguinem vehentium cava circumeans, tandem homine jam mortuo, per tuborum horunce parietes transudat, et omnia vicina commaculat. Cadavera enim quaevis, partes fellis vesicae confines flaventes habent: atque manifestum est quo plus bilis in vasis sanguiferis circulet, eo plus in cute infra cuticulam deponetur, atque pari ratione latior illius post mortem transudatio viscerumque discoloratio.

Signa praecipua morbosa quæ scalpello patescerent sic ordine descrispi: non ideò tamen credendum est haec semper eadem

serie semet excepisse, vel etiam omnia eodem in homine crebrò inventa esse: attamen, plura vel pauciora modo hoc, modo illo cadavere, neque certo ordine reperi. Hoc tamen regulari conservavi; nimirum, ut affectus pathologici prius descripti constantiores sint, atque frequentiùs semet incisorum oculis offerant, hos primo sic loco honoravemus.

Erant nihilominus quamvis rarissimè cadavera, quibus nihil morbosi se ostendebant, saltem quod causam mortis suggereret: hoc tamen, repeto, rarissimè videbatur; neque ullus est, cui morbum contemplandi suppetiit opportunitas, praesertim quam saepè viscus aliquod vitae muneribus necessarium notas inflammationis prae se ferat, qui affirmare dubitaret hoc in morbo diathesin phlogisticam dominari. Signa quidem omnia quae

suprà nominavi totidem testimonia sunt hujus opinionis, adeo mirè a majoribus praetermissae.

In causas hujus inflammationis hìc inquirere noluerim. Qui febrem inflammationem vocant, verba mutant sed non res definiunt; atque difficilimè herclè indicabit aliquis tempus ipsum quo haec actio in partibus incipit. Nonnullis opinio est sanguinem in parte inflammatâ imprimis congeri: deinde, ab hac congestione post tempus incertum inflammationem incipere; sed haec, perindè ac aliorum sententiae difficultatibus suis premi videtur.

MEDENDI RATIO.

Cum de causâ inflammationis post mortem observatae suprà disputarem, perturbationem cerebri illam, maturè in Febre Remittente occurrentem consultò omisi. Nam cerebri functiones nondum didicimus, nedum leges quae genus vasorum cum eo connectunt : et insani fuisset explicationem rei non intellectae longa verborum ambage tentavisse. Nihilominus, ob hanc ipsissimam causam, initio Febris Remittentis magis quam cuivis alii febri ferè attendendum est : namque febre istiusmodi incipiente, vasa cerebri semper plena sunt; quae plenitudo si non

celerrimè subducetur, munera illius vitalis organi, qualiacunque demum sint, brevissimo tempore perturbabit; et illa semel turbata, rarissimè ullis remediis restitui solebant.

Ad primum igitur morbi impetum triginta circiter sanguinis unciae statim detrahendae sunt, seu ab arteria temporali, seu a brachio, indifferenter; nam mihi quidem, postquam utrumque modum plenè expertus essem, levissimi esse momenti unde sanguis venisset, modo satis sanguinis, satisque maturè effluxisset, apparuit.

Pauci hac febre aegroti reperiuntur qui sanguinis detractionem quantum rei necessitas postulat, corpore erecto perferre valent. Quam ob causam, et quum syncope, hoc in

morbo haud ulla commoda mihi conferre videtur, sanguinem dum supini reclinantur aegroti abstrahi debet. Syncope enim sola nunquam morbum solveret; atque febris, morbus laesione generis nervosi pendens, vel certè multum hujusmodi laesionis habens, a causis syncopes facilè afficitur; longè quidem priusquam ullus permanens effectus a sanguinis missione productus fuerit.

Sed syncope sanguinis fluxum inutilitèr cohibit; ideoque aeger ponendus est in positu qui animum, quantum fieri potest, ne deficiat impedit. Hic supinus est, nam cerebrum hoc modo minus subito sanguine suo stimulo necessario privatur, neque levi humorum diminutioni succumbit.

Quamvis in casibus quibusdam signa non multum levantur hac prima administratione, tamen in plurimis aliis, capitis dolor et stupor mirabiliter levari statìm sentientur. Sanguis missus plerumque firmus est, superficiem coriaceam albam ostendens. Post sanguinis detractionem purgans ex submuriate Hydrargyri miti et Jalapa compositum, parvis sulphatis Sodae vel sulphatis Magnesiae portionibus insequentibus exhiberi debet. Sulphas Magnesiae vel Sodae continuandus est, brevibus intervallis interpositis, donec alvus liberè et copiosè responderit.

Per diem hanc primam si capitis dolor recurreret, comitante vultu rubore suffuso, pulsu pleno, duro et frequente, cum vasis tunicae adnatae sanguine turgentibus; omnia quae signa si non tollentur, delirium cer-

tissimè praenunciant, iterum iterumque nullâ morâ interpositâ, ad sanguinis missionem confugiendum est, usque ad quantitatem anteà praescriptam, nisi priùs symptomata imminuta fuerunt. Sed quod ad quantitatem detrahendam, nobis secundum aetatem conditionemque aegri regendum est.

Quum initio solummodo morbi est, quod sanguinis missio, auxilium scilicet potentissimum, adhibenda est; necessarium nonnunquam fit, ad hoc, bis terve secundum symptomatum violentiam, primo in die confugere.

Debilitas periculosa a detractione sanguinis tempestivâ minime metuenda est; nam, quo copiosior fuisset haec evacuatio, morbo

incipiente, eo magis celer convalescentia reperiebatur: res etiam in aliis febris generibus haud inobservata.

Si illae autem sanguinis exinanitiones non intra horas quadraginta octo ab initio morbi factae sint, nimis serò venient, vel minus efficaces erunt.

Quanquam in hoc morbi stadio effectus sanguinis detractionis generalis mihi dubius esse videtur, tamen hirudinum applicatio partibus dolentibus haud inutilis invenietur. Hae enim cum sanguinis detractio generalis praeierit, capitis dolore redeunte, solamen multum praebebunt.

Quandoquidem, et hoc minimè negligendum est, cerebri functiones post tertiam mor-

bi diem turbatae fuerint, seu a necessaria depletione foedè neglecta, vel infelicitèr exhibita; tum sanguinis missio larga dubium admodum, imo valdè noxium ni multum fallor remedium videtur. An haec cautio ad febres continuas tractandas commodari debet, videant periti: ipse quidem in Febre Remittente rem experientiâ didici.

Post detractionem sanguinis liberrimam et alvi solutionem amplam, humores versus superficiem derigendae sunt, diaphoreticorum usu medicamentorum.

Quum nausea nulla supervenerit, optime huic proposito Tartras Antimonii parvis portionibus saepè repetitis accommodatur, quia ventrem insuper solutam conservare solet. Sin vero nausea vel vomitus adsit, quod ple-

rumque accidit, hic sal admitti non potest. Acetas Ammoniae hoc tempore humores ad summam cutem optimè dirigit; atque vesicatorium simul scrobiculo cordis admovetur, quod vim insignem ad vomitum cohibendum possidet.

Vasorum capitis plenitudine sublata, alvoque liberaliter soluta, et febre nihilominus cum remissionibus parum distinctis durante, ad usum Hydrargyri recurrendum est. In hac occasione Submuriatem Hydrargyri quasi semper usus sum; et ad salivationem quamprimum excitandum adhiberi debet. Opium aliquando huic commodè adjicitur, et aliquando medicamenta valdè diversa prout alvum nimium affecerit, quae per totum hunc morbum laxa omnino servanda est.

Saepenumerò, quum morbus non omnino devictus fuerit ab exinanitione, (quod saepe accidit) reliquiis nonnullis usque adhaerentibus; aeger, quandocunque Hydrargyrus salivationes inducere valuit, covalescere incipit. Hoc his praecipuè accidit exemplis ubi cutis flavedo multa est cum molestia in Hypochondrio dextro.

Cognitum est, aëris liberum circuitum in Febre Typhoide ad rapidam sanationem multum conferre; aliquando etiam morbum in summo ejus impetu frangere et fugare. Vix autem minora commoda inde percipiuntur in Febre Remittente ubi series actionum morbosa minus facile a causis externis affici videtur. Dispersio aëris novi per cubicula et corpora aegrorum sensu medico ventilatio vocatur. Variis in modis fit, sed optime erit

circumagendo aërem purum externum per aedes; aut aëre immutato, aegrum ipsum ab aëre impuro ei circumdato in salubriorem efferendo. Hic ultimus modus etiam prodesse multum dicitur, quando febriens ab alia parte in aliam ejusdem cubiculi translatus est: sic atmosphaeram quasi malignam circa aegrum diffundi, haud ambiguè indicans. Etiamsi nulla mihi sit suspicio de natura hujus morbi contagiosa, nihilominus quoniam aëris impuri, effluviique humani conglomeratio, multum omnia indicia aggravare tendet; atque fortasse, nonnullis etiam in exemplis typum Febris mutare a forma Intermittente, ad Remittentem vel Continuam valeat; ventilatio accurata, summa cum cura adhiberi debet. Quapropter, in Nosocomiis lectuli aegrotantium, quantum maximum fieri potest, distare debent, semper certè intervallo trium pedum

interposito. Aegro vestimenta tenuia leviaque praebeantur, linteis frequenter mutatis.

Quin in tempestate calidissima, cubiculi solum aceto spargatur, quod vaporando, aërem refrigerat, odorem undique gratum simul diffundens.

Quicquid commodi aqua frigida corpori perfusa, nonnullis in Febre Epidemica Indiae Occidentalis remittente praestitisse videatur, meâ utiquè experientiâ inter Insulas Graecas perindè utilem fuisse confirmare non ausim. Temporaneum certè solatium levamenque haud raro induceret; quae tamen celeritèr febris augmentum semper reversio sequebatur. Equidem cum apud initium, solum scilicet tempus medicinae propitium, depletiones maturè et liberè satis adhibitae fue-

runt, sanatio aeque felix, sive affusio frigida usurpata sive omissa est, procedebat.

Etiamsi tamen affusio frigida remedium mihi ambiguum videretur: nihilominus aqua tepida ex spongia per totum corpus perfusa, utilissima semper visa est. Tempus adhibiendi est cum sanguine misso, et purgatione alvi ritè facta, cutis adhuc arida, calida et constricta maneret. Tunc corpus aqua tepida perfusum, gratum omnium signorum levamen nunquam non producit. Hic affectus producitur fortasse non solum temperamentum corporis diminuendo, sed etiam, omnes, cutis totius corporis superficiei, sordes sublevando.

Morbo adhuc incipiente capillos abradi jubeo, non tantum quod multo facilius ante

delirii ingressum quam postea perfici potest, sed etiam quod hac operatione perfectâ, aegros se commodius haberi, et quasi refectos percipere adnotavi, et quod crebras consequi sinet capitis lavationes ex aceto et aqua, quae haud unquam omitti debent. Celsus de dolore capitis in Febribus loquens, dicit; "Si capitis dolores sunt rosam cum aceto miscere opportet, et in id ingerere: deinde habere duo pittacia, quae frontis latitudinem, longitudinemque aequent; ex his invicem alterum in aceto et rosa habere, alterum in fronte, aut intinctum iisdem lanam succidum imponere." In nostris temporibus aequè utilis erit haec administratio in Febre Remittente, de cujus curatione loquimur.

Ab ipso Febris Remittentis initio, regimen antiphlogisticum ut dicitur, rigidè im-

perandum est. Potus diluentes, cum vel sine acido prout aeger ipse postulabit, liberaliter concedi debent, curâ habitâ ne ventriculus supra modum distendatur, nimio potûs haustu una vice devorato.

Purgantia in hoc morbo, proximè, ut supra comprehendimus, post sanguinis missionem administrantur, nec opus est longa praescriptione de his exhibendis; curâ semper habitâ, ut ejusmodi medicamenta, ex Jalapa vel Rheo cum submuriate Hydrargyri conjunctis praeparata, repetantur haud segniter, donec dejectiones speciem priorem et naturalem induerint, nigredine et foetore morboso simiae exutis.

Sed si non obstantibus remediis omnibus quae scripta fuerunt morbus procedit, pulsu

debili et frequentissimo evadente, delirioque cum aliis debilitatis signis superveniente, ad usum vesicatoriorum, remediorumque stimulantium recurrendum est. Hydrargyrum autem assiduè sub forma frictionis, ventriculo nunc eum retinere non ampliùs valente, adhiberi oportet. Vinum nunc, in quantitate effectibus ejus regenda, adhiberi debet. Evacuatio alvi regularis enematibus emollientibus efficitur, et aegri vires, quam optimè possumus, sustinendae, indiciaque importunissima allevanda sunt.

Dum alvo ex intervallis justis reddendae operam damus, in ultimo hujus morbi tempore, urinae fluxus minimè negligendus est; res certè minis saepè praetermissa, quaeque se in vesica accumulando irritationem molestissimam inducat. Hoc ne fiat clarissimus

Gregorius impensè vigilare jubet, atque curantem subinde aegri urinam inspicere, scilicet ut compertum habeat, hominem lotium ritè reddidisse.

Quandocunque vero urinae expellendae difficultas existit neque enematibus stimulantibus neque aliis modis solitis debellanda, ultra horas XXIV. non expectandum est quin fistula ad aquam educendam, (catheter dicta) per urethram in vesicam demittatur; nam irritatio hujus nihil est si cum irritatione urinae vesica detentae comparetur.

Cinchonam multum meritoque in quibusdam Febribus Remittentibus laudatam, in hac Febre Graecanica solùm utilem esse persuasus sum, post remissionem perfectam exhibitam. Mihi enim apparuit, quando cin-

chona adhibita fuisset in remissionibus minus completis, effectum habuisse exacerbationem sequentem accelerandi. Quandocunque tamen remissio manifesta intercedit, tum cinchonae administratio in dosibus amplis non negligenda est. Drachmam plerumque hora quaque exhibere solitus sum.

Dum convalescit aeger infusum quassiae vel decoctum cinchonae summo cum fructu adhibeatur. Alvus simul soluta servanda est.

Appetito revertente, cibus modicè sumendus est; recidiva enim intemperantiam vix unquam non sequitur. Solis radii quoque utiliter evitantur, dum ad exercitationes solitas qualescunque fuerint, gradatim admodum redit convalescens.

Quum curationis progressus a maturâ remediorum adhibitione adeò multùm pendeat, vigilandum est ut protinùs primo insultu detegatur. Si velut epidemicus apud milites appareat, non tantùm crebras instituere inspectiones oportebit medicos, sed praefecti minores manipulos accuratè recensere debent, et quemcunque languidum, hebetem videant, vel cibi consueti edendi impotentem, cum illico in rationes aegrotantium referre.

FINIS.

Edinburgi:
Excudebat C. Stewart.